



Oratio Regium
Augusto. Chr. Starck
H. Hof.







ORATIO
MEMORIÆ
Reuerendi, Clarissimi & Excellentissimi
DN. DAVIDIS
CHYTRÆI
Theologi & Professoris primarij:
Historici eximij; Philosophi insignis: Viri in-
comparabilis, de multorum salute & studijs
optimè meriti, piè & placidè 25.
die Iunij defuncti.

Nobili & Clarissimo viro Dn. CHRISTOPHO-
RO STURCIO I.V.D. & Historiarum
Professore gratitudinis ergò habita,
In magno amplissimi Senatus Academiae & Urbis
confessa & frequentissima studiosorum alio-
rumq; hominum corona die 5. Iulij.

ROSTOCHII
Excusa Typis Myliandrinis, Impensis Laurentij Alberti
bibliopole & ciuis Lubecensis. Anno M. D. C.



REVISED
BY
D. M. DAVIDS
CHIEF
Biology & Zoology Department
Biology Department
University of California
Berkeley
California
1910



O R A T I O
M E M O R I Æ
D A V I D I S C H Y T R Æ I
H A B I T A.



Quam acerbus nobis sit fueritq; omnibus huius Academiae urbisq; ciuibus Reuerendissimi clarissimi & Excellentissimi viri D. DAVIDIS CHYTRÆI communis præceptoris nostri honoratissimi ex hac vita discessus, non domesticorum modò eius viduæ, liberorum, generi Magnifici pro tempore Rectoris IOHANNIS FREDERI & amicorum luctus id ostendit; sed multi etiam ex uobis, concio ornatissima, indubitatis id quibusdam signis amoris, non obscure, profusis etiam lachrymis demonstrarunt, cum eius exuias more solenni terra mandaremus, Quis enim, quæso, est tam ægrotus qui patrem non lugeat suum? at multos ille non tam naturâ quàm doctrinâ & pio affectu filios habuit suauissimos. Quis præceptoris sui venerandi memoriam non recolit? summè nisi qui ingratus est. Quis ergò tantum virum ex nostra Academia abreptum non doleret? columna qui fuit huius gymnasij usq; dum florentissimi: præsidium qui fuit Musarum: fulcrum qui fuit pacis & concordie publicæ: præceptor deniq; noster qui fuit com-

munis. Certè meritò lugemus, flemus, mœremus.
Abijt à nobis in cœlestem Academiam, qui suis studijs,
consilijs, laboribus & operibus elegantissimis hanc no-
stram Academiam per annos plùs minùs quinquaginta
ornauit, decorauit, ampliauit. Abijt ex hoc ergastulo,
& à nobis theologus summus, historicus eximius: Abijt
talis vir, qui suâ auctoritate vnâ religionem, vnâ
inter nos animorum consensionem retinuit. heu dolor!
hem gemitus! ille pater Academia; ille, cuius umbra
senis plus quàm gladius iuuenis valebat: ille, qui hæc-
tenus prohibuit, ne qui noui motus fierent, aut in neruum
erumperent; effecitq; diuinâ prosperante gratiâ, ut id
firmiter & integrè tuerentur & sequerentur omnes, quod
iam ante purum & Verbo DEI consentaneum esset de-
monstratum; nihil morati aliorum vel subtilitates Phy-
sicas; vel ~~de nouo~~ hoc verbo Dei non comprehensas. Quis
ergò id mihi vertet vitio, si exemplum Metelli Macedo-
nici secutus, quod ille dixit de Scipione Africano, masto
item ego vultu & confusâ voce è publico suggestu de
DAVIDE CHYTRÆO exclamem. Con-
currite, concurrite ciues Academix, moenia
nostræ scholæ euerfa sunt. Non volo malè omi-
nari, nec ea est animi mei inductio: vereor tamen & qui-
dem vehementer, ne vbi senes hi, quos canis capillis ad-
stantes videtis, paulatim à nobis in suam requiem disces-
serint,

serint, noua rixa, noui motus, noua disputationes exci-
tentur & existant, & mutatio quadam periculosa subse-
quatur. Sed enim Deo ἀλεξίπικρον hac cuncta moderanda
& disquirenda relinquimus. Magni tamen viri non
frustra colligi solent in requiem: à facie malitia imminen-
tis id fieri propheta Isaias testatur c. 57. v. 1. Id verò non
dubito adserere, Rostochium, vrbs Musis Gratiisq; cara,
grauissimas habet profectò causas, vt Deo gratias agat
summas, quòd DAVID CHYTRÆVS vir
tantus in hac Academia docuit & consenuit. nam siue
publica requiras siue priuata, opera & emolumenta vtro-
biq; reperies maxima, quibus hanc ille urbem & scholam,
Musarum sedem, ornavit & beavit cumulatisimè, ac
celebriorem fecit apud exteras nationes, quàm hac vrbs
antea fuit vnquam. cuius tanta fuit auctoritas, vt vnum
eius verbum vnusq; nutus sexcentis argumentis & ver-
borum continuationibus parem fidem meruerit. O mi
CHYTRÆE, qualem amicum te anisi! Sed hac
rursus cogitatio iucundior me consolatur; O quantum
amicum habeo & in eternum habebò! donec sibi suisq;
huic vniuersitati & mundo, mihi alijsq; eius amicis ne-
cessarium fuit, moram hic traxit: Dum verò sibi vni ex-
pedire magis cepit, ab huius mundi malis separari, eri-
puit illum D E U S, ei scilicet consulens non nobis; imò
forsan & nobis. quis enim sufficit abditas & imperscruta-
biles

tabiles diuina præscientia causas aut exitus contemplari, dicente Apostolo ad Roman. Sensum Domini quis nouit aut quis consiliarius eius fuit? Dicam porrò paucis, quæ ^{ἐὐφραδία} D. CHYTRÆI quæue eiusdem ^{ἐὐφραδία} fuerit, & quomodo, cursum vitæ suæ, piè, sapienter & feliciter absoluerit.

Id constat planè inter omnes, in homine ea potissimum, quæ sua fuere propria; non aliena, nec extrinsecus accidentia disquiri debere. nam veram nobilitatem Socrates scissitanti respondit esse, animæ & corporis bonam temperiem Stobæ. serm. 84. Ergò nec de generis claritate in tanto viro, suismet virtutibus præclaro solliciti sumus. ^{ἀνδραγαθία} quippe non ^{παρὰ γὰρ θείαν} rationem habendam rex Antigonus admonebat. Sed tamè, si quid ad laudem boni viri pertinet parentum dignitas & virtus, optimis eum, & quod præcipuum rei caput est, Deum timentibus prognatum esse parentibus scimus. Patrem habuit mediocri fortune sed probatæ vitæ magnæq; pietatis virum **MATTHÆVM CHYTRÆVM** Ecclesie Dei pastorem, qui in oppido Greichgæ Menzinga per triginta annos puram Euangelij doctrinam docuit, Matrem habuit Barbaram Neipergensem honestissimam matronam, Ex his parentibus felici sidere natus est anno Christi 1530 die 26 Februarij in Ducatu Wirtenbergensi in oppido Brakenbeimo,

Patri

Patri autem sine dubio hoc solenne fuit votum, & hac unica cura maxima, ut liberi, quos suavisissimi coniugij sui pignora sibi DEVS dedisset, quàm fieri posset optimè & elegantissime educarentur & instituerentur, h. e. ut veræ religionis semina imbiberent, & in tales viros evaderent, qui Ecclesiæ ac Reipub. magno præsidio & emolumento essent. nec eum hac pia vota fefellerunt nam, ut Ioannes Caselius eleganter in ephitaphio memoria Matthæi Chytræi conscripto, canit.

Εὐ ἄρα λαμπερῶταί τε ὄρασι παρέδωκεν ἀμοιβῆν
 ὑἱὸς τῆς πατρικῆς κληρονομίας ἀρετῆς
 τῶν μὲν Δαβίδης ἔσηκεν ἐν ἰχνέσι πατρὸς
 θεσπέσις θνητοῖς ἀπέργμα λογιῶ βαλῶν. h. e.

Sic sanè DEVS tibi pulcherrimam pensationem fecit, filios qui dedit heredes paternæ virtutis: int er quos David in vestigijs patris consistit, qui semen diuini verbi inter mortales spargit. Ex ipso DAVIDE CHYTRÆO piè defuncto in sermonibus, (quos familiarissimè sæpè pro suâ singulari in me bonenolentia mecum communicare solebat) audiui, parentum suum decem liberorum patrem fuisse, sed unum ex filijs plus deinde opulentiæ acquisivisse divinâ benedictione, quàm ille habuit, qui tantam aluit familiam. Benedictionem ergò Domini diuites facere, hoc planè exemplo docemur. nec enim diuitiæ magnæ rerumq; copia ingens meliores efficit liberos, imò deteriores redduntur homines diuitijs pariter ac vitijs; qui

qui commodis antea fuere moribus, ut in multis id experientia vite magistra comprobat. Siquidem nihil difficilius est, quam equam commodam mente pati, & rebus omnibus ad nutum fluentibus modum vite sue certum statuere posse. Itaque mediocritas fortunarum multis profuit ad laudem virtutis & eruditionis adipiscendam, ut id ipsum testatur vulgatum sermone proverbum, ἡ πτωχὴ ἐλάττει τὰς τέχνας, paupertas inuenit artes.

Prorsus ita euenit in pueris, ut in ceteris rebus omnibus: initio mox indolis bonae indicia apparent: tum ex corporis lineamentis: (ex quibus Lacedaemonij adeo infantes recens natos diiudicabant, ut quos turpes & facie deformes inuenissent, statim neci darent:) tum ex alijs signis, quibus natura tacite de homine loquitur. Itaque cum in puero **DAVIDE CHITRÆO** εὐφροία naturalis ingenij ad omnia dexteritas & bona indoles esset, mox à patre infans septem annorum in scholam vicini oppidi Gemningen est deductus, & Wolffgango Busio in disciplinam commendatus, ubi item & Franciscum Irenicum audiuit; & adeo feliciter in primis literis discendis profecit; ut aequales omnes ingenij gloriam vicerit; & postquam ex oppido Brakenheim patriam parentis sui stipendiolum quoddam accepisset, maioris ingenij cultus causam ad diuersas Academias profectus fuerit. Tubingam primum à patre ductus est, ubi Hieronymum Gerardi, Ioannem Mendlinum

¶

Et Michalemi Vaium priuatos praeceptores habuit. nam par erat, plurimum labore Et curâ illum institui Et excitari, in quo tanta vis ingenij Et virtutis latebat: et qui multorum utilitati Et saluti seruire debebat. Et quidem obsequio magis quàm alieno metu eorum disciplina se subiecit. Cum iam satis Et bonis literis Et eloquentiae rudimentis instructus esset Et encyclopadiam artium integram percurrisset; natiuâ docilitate institutionem praecurrens; nam anima benè nata praeceptis obuiam se offerens à se ipsa magis quàm à magistris adiunatur: dignus visus est, qui magisterij honore publico ornaretur, admodum licet iuuenis aetate, sed non ingenio, nec moribus, quibus praeditus erat elegantissimis. scitum enim est illud Senecæ: quidam ex hominibus egregiam sortiti indolem, in ea, quæ tradi solent, perueniunt sine longo magisterio, Et honesta sunt amplexi, cum primum audiuerunt. Et qui puero ingenium dederat praeclarum, is deinde suâ ipsi gratiâ patronos Et adminicula studiorum dedit, excitatis bonis viris, qui diligentem eius curam haberent. Duo enim res humanas; vnâ diuinâ providentiâ cuncta moderante; Deus Et occasio gubernant; quam offert omnipotens, quotiens cui-dam benefacere vult. Tubingâ D. CHYTRÆ-
V S Witebergam, prabente sibi sumptus studiorum nobili viro Petro à Menzingen equite aurato, profectus est, ubi per sesqui annum D. MARTINVM

B

Luthe-

Lutherum diuinitus excitatum magnum illum theologum
audiuit. PHILIPPO Melanthonē etiam familia-
rius vsus est, eius domesticus factus. nec enim opus habu-
it felix ingenium longâ experiētiâ. Certè si est bonum
et felicitas quadam, iugum adolescentiæ suæ portasse, hæc
in parte satis magnam felicitatem DAVID CHY-
TRÆVS adeptus videtur. Sed talem, quam mol-
liculi quidam, scio, manibus pedibusq; auersarentur, nec
sibi eam contingere optarent; sed malè, qui rerum nondum
sunt intelligentes, quos vel hæc parœmia mouere deberet,
non tentatus qualia scit? Non ergò is fortunarum splen-
dor in patrimonio DAVIDIS CHYTRÆI fuit,
ut suis sese sumptibus exhiberet, quamdiu in Academijs
vixit. sed modico viatico contentus esse, et alijs seruire
aliquando necesse habuit. Sed hoc seruitium magnam
animi vitæq; elegantioris libertatem attulit. En ergò
quantum ex hoc iugo adolescentiæ, quod æquo ille animo
tulit, bonum! Philippo Melanthoni, nondum satis lau-
dato viro, domesticus fuit DAVID: et Davidi ille
præceptor fuit, magister fuit præcipuus: animi ac pruden-
tiæ verus informator fuit. Nec iuueni decrat ingenium
et industria, quin tanto præceptore vsus, grata quæ essent
DEO et utilia Reipublicæ ac hominibus et dicere et
facere attentè et diligenter disceret. atq; hæc fuit prima
illa velut causa et occasio, quâ in tantum virum, erudi-
tione,

tionē, pietate & virtute præstantem euasit. quare sapissimè honorificam Philippi mentionem fecit, sermones iniicendo de castis ipsius moribus, integritate vitæ & singulari zelo pietatis cum summa eruditione coniuncta. ingratus enim sit necesse est, qui non illum præceptorem colat & diligat, qui bonam indolem erexit, qui modò laudibus fecit animum, modò admonitionibus discussit desidiam, tum ingenium latens & pigrum, iniectâ; ut ita dicam, manus extraxit; nec quæ sciebat malignè dispensauit, quo diutius esset necessarius, sed cupijt, si posset, vniuersa transfundere, ut verbis Seneca 6. de benefic. c. 16 utar.

Planè ambigendum non est, quin ter quaterq; beatus sit ille, cui talis contigit Doctor & vitæ informator, qui fontem vitæ omnisq; salutis Iehouah velut digito, sui sermonis simplicitate & perspicuitate, ostendit, quine exemplo domestico; cui maior vis occulta licet quàm multis præceptis inesse solet; optimam & saluberrimam vitæ degendæ rationem demonstrauit. Et sanè dicto optimi præceptoris audiens fuit D. CHYTRÆVS, primus in auditorium venit, nouissimus exijt, ambulans etiam Philippum insecutus: qui vicissim discenti non tantum paratus sed & obuius fuit. Et proinde DAVID CHYTRÆVS eam, quam illustrissimis testimonijs sacrarum literarum & hominum probatam viam vidit & rationem vitæ ingressus & secutus, in talem vi-

rum euasit, quem non hæc schola duntaxat magnum theolo-
gum, historicum eximium, oratorem suauem, poetam
iucundum vidit & cognouit: sed tota etiam Europa sus-
spexit & admirata est: & posteri, fructu laborum eius
letati, magis magisque deinceps admirabuntur. Quid
verò de nostris auditoribus dicam? illud Seneca epist. 108.
non iniuriã proferre possum. Nominus quosdam, qui
multis apud philosophiam annis perseuerunt, & ne colo-
rem quidem duxerunt Quidni nouerim? pertinacissimos
quidem & assiduos, quos ego non discipulos philosofo-
rum sed iniquilinos uoco. Quidam ueniunt, ut audi-
ant, non ut discant, sicut in theatrum voluptatis causã
ad delectandas aures oratione, uel uoce, uel fabulis
ducimur. magnam hanc auditorum partem uidebis, cui
Philosophi schola diuersorium otij est: non id agunt, ut ali-
qua uitia deponant, ut aliquam uitæ legem accipiant, ad
quam mores suos exigant, sed ut oblectamento animi
perfruantur. hæc ille. Id iam ante D. Philippus
Melanthon in Dauide adolescente, quantus ingenio
& doctrinã uir euasurus esset, animaduertent; nam
animis prestantium uirorum uis quadam diuinitatis
inesse solet; ideoque eum instar filij adamauit uehementer,
& DAVID CHYTRÆVS à senis latere disce-
dere noluit; nec quicquam sibi graue uel molestum uide-
batur, quod ille non lubenter susciperet, modò in oculis cla-
rissimi

riſſimi viri quotidie verſaretur, & ad eius exemplum vitam moresq; componeret. Conſilium etenim eſt Seneca ſalubre aequè atq; utiliſſimum epiſt. II. quòd aliquis vir bonus nobis eligendus eſt, ac ſemper ante oculos habendus, ut ſic tanquam illo ſpectante viuamus; & omnia tanquam illo vidente faciamus. Socraticus Aſchines Athenienſis miræ indolis à puero laborumq; patientiſſimus adedè præceptoris ſtudioſus fuit, ut nunquam ab eo diſcederet, undè Socratis illa vox memorabilis. Solus Aſchines nouit Socratem honorare.

Illuſtris ac Magnificus Dn. Stanislaus Zarnekouius ſenex, meritis in Rempub. præclarus, cæcus quidem, ſed eâ mentis integritate & acrimoniâ præditus, ut publicis eum conſilijs Poloni nunquam abeſſe velint, trium regum qui fuit Secretarius reſq; magnas uſu & experientiâ perdidicit, & etiamnum ſuâ auctoritate & prudentiâ adminiſtrat: is ſepè mihi Poſnania & in comitijs Varſauienſibus commemorauit, cum Witebergæ eſſet ſtudioſorum cauſâ, vidiffe ſe **DAVIDEM CHITRÆVM** tunc inuenem pulcherrimum præſtò adeſſe **PHILIPPO** Melanthoni, adedè modeſto vultu & compoſitis moribus, ut imaginem optimi præceptoris hic diſcipulus inter ceteros ſolùm referre videretur: & cum Philippus ſuauiori eum vocabulo non poſſet, ſuum Davidem appellaffe.

Cum post mortem Lutheri, qui velut è faucibus Ere-
bi veritatis lucem reuocauit, grauissimum & difficilli-
mum bellum in Germania esset exortum, ac ijs in locis
gereretur, Chytraus Witebergâ discedens se Heidel-
bergam contulit, ac inde rursus Tubingam, ac docendo
disputando, notando optimâ ratione se aliosq; summâ
dexteritate erudiuit & exercuit. excellentis enim ani-
mi sua nota est.

Continuò pecoris generosi pullus in aruis

Altius ingreditur, & mollia crura reponit.

Primus inire viam, & fluuios tentare minaces

Audet, & ignoto sese committere ponto.

Finito deinde bello in Saxonia D. Chytraus Wite-
bergam redijt, & circa annum 1548. scholam ibidem
aperuit, & cum magna omnium admiratione docuit, suo
exemplo testatus, quòd ingenium cœleste suis ve-
lociùs annis surgat, & quidem publicè in auditorio
veteris collegij diebus extra ordinarijs horâ quartâ pome-
ridianâ locos communes Philippi Melanthonis (com-
pendium qui sunt totius theologiae accuratè conscriptum)
explicauit; & priuatim alias item lectiones utiles propo-
suit & continuauit, musæum habens in nouo collegio à
Dno. Philippo sibi traditum, in quo ipse Philippus antea
degere & studijs suis incumbere solitus fuerat. nam qui

cum

cum sapientibus graditur: in quorum contubernio nil nisi
sanctum honestumq; cernitur: sapiens erit: Circa idem
tempus paulò post pascha Witebergam venerat D.
LUCAS BACKMEISTERV Stunc
iuuenis studiorum causâ (qui iam superintendens huius
urbis & professor ac Doctor Theologiae apud nos dignis-
simus & honorandus, etatem laudabiliter huc usq; vitæ
D. CHYTRÆI ferè parem peregit, rude donan-
dus, quem ut DEVS opt: Max: diu saluum & inco-
lumem conseruet, vota nuncupamus) & repererat
DAVIDEM CHYTRÆVM pu-
blicè & priuatim ibi docentem, quem & ipse tum dictos
locos communes proponentem audiuit & familiariter
coluit; DEO sic pectora coniungente inter eos, qui de-
inde in hac Academia anno 1562 collega facti, studia
Theologica unà cum cæteris collegis fideliter propagarunt.
en quanta concinnitas! decus Academiae. en bonum con-
cordiæ! Ille familiarem suum magno ingenio, singulari
facundiâ, & docendi gratiâ præditum, consilio & operâ,
quantum potuit, promouit, amauit, ornauit; hic rursum
illum obseruauit & honorauit, mutuâ plane voluntate
& beneuolentiâ. Hic collegarum consensus quàm pul-
cher! quàm optabilis! Etenim annis 38 negocia religio-
nis orthodoxæ, & Ecclesiæ Christi coniunctis animis &
communibus sententijs, cum multorum salute & huius
scholæ

scholæ dignitate tractarunt, magnamq; emolumentum
in vinea Christi multis hominibus eo ipso contulerunt, uti
vos seniores huius rei testes locupletes estis.

Anno Christi 49 D. *CHYTRÆVS*, cum ad
civilis prudentiæ artem veraq; eruditionis rationem plu-
rimum prodesse sciret, multas vidisse vrbes, & præstan-
tium hominum consuetudine usum esse, in Italiam, ad-
sumpto vno comite fideli *M. Andrea Martino*
Rostochiensi, profectus, coram oculis illa loca contem-
platus est, in quibus tot res præclare gesta fuere, quas
Liuius & alij descripserunt. *Fidus Achates Chytræi*
M. Andreas Martinus quorundam Baronum in
Bohemia pædagogus fuerat & *Vitebergam* tunc redie-
rat, postea hic professor theologiæ & pastor in templo *Ma-*
riano factus magnâ cum laude suo muneri satisfecit, &
perpetuam cum *D. CHYTRÆO* amicitiam coluit:
eiusq; sæpe honestam, alteridem qui fuit, mentionem
gratitudinis ergo fecit. Florebant tunc in hac alma *Aca-*
demia ingenio eruditione & virtute præstantes viri
D. IACOBVS BORDINGVS medici-
næ Doctor, & *M. ARNOLDVS BVRE-*
NIVS. Ex *Burenij* schola velut ex equo *Duratheo*
multi clarissimi viri, Doctores, principum consiliarij &
alij nobilissimi homines prodierunt: & quidem ex ijs nobis
familiares etiamnum optimi præceptoris ac disciplina sa-
lutaris

lutaris imaginem suã r.orum elegantia & facundia referunt.

D. IACOBVS Bordingus sua cum propria virtutis & sapientia laude celebris, tum quod filium sibi quãru-
mou verè $\kappa\sigma\iota\upsilon\delta\iota\upsilon$ $\alpha\zeta\alpha\delta\upsilon$ huic Academia & provincia Megapolitana reliquit IACOBUM BORDINGUM cancellarium illum principis Dni. Vladalrici Ducis Megapolitani, quem novistis magni consilij: integerrimi animi, & acerrimi iudicij virum. Hi viri duo collega, pro suo in Rempublicam literariam studio & amore, id agebant, id tractabant, id magnã curã efficiebant, ut hæc schola conquisitis eruditissimis viris quãmpulcherrimè constitueretur. Itaq; M. Burenius eã potissimum de causã Witebergam anno 1550 profectus cum PHILIPPO Melanthere agebat, ut eius consilio adiutus virum aliquem eruditum in hanc Academiam adduceret. Ioannes quidem Aurifaber Theologiae Doctor venit eo anno Rostochium, & aliquandiu in hac schola docuit, deinde post in Borussiam profectus. Sed quem DEVS huic schola destinãrat potissimum, in eius comitatu ad videndum urbem venit DAVID CHYTRÆVS, nihil suspicatus de vocatione, quã diuinitus mox sibi facta est. nam statim atq; familiaris magnis illis viris ut capit; ingeniorum qui erant aestimatores optimi, inuenem impensè adamare ceperunt, & di-

gnum suâ benevolentia & promotione censuerunt, effeceruntq; ut ab Jll. principe Henrico Duce Megapolitano in hanc scholam vocaretur. Sors cuiq; loco sua est: placuit ergo conditio D. **CHYTRÆO**, & acceptâ mox vocatione reuersus est, animo hîc Rostochij domicilium sedemq; fortunarum constituendi, interim conuictu D. **IACOBI** Bordingi viri optimi vsus vsq; dum larem matrimonio suo constitueret, eumq; post parentis honore in celebrandis suis nuptijs dignatus est, deinde & eius viduam ut matrem & liberos officiosè coluit & amauit.

Hæc & alia multa memorabilia Reuerendus & clarissimus vir D. **LUCAS BAC** Kmeisterus collega & amicus noster colendus, quæ ipse vidit & cognouit, & posteritati cognitu non inutilia censuit, pro singulari suâ; quam cum **CHYTRÆO** à primis annis, ab ipso etiam insignibus Doctoratus in Theologia ornatus; coluit, amicitia; & summâ, quâ est erga omnes, humanitate mecum communicauit, & in sua eleganti funebri oratione Germanicâ latius pertractauit.

Sed enim pro honore vocationis solenni initium Lectionum anno 51. die 21 Aprilis felici auspicio fecit. & hoc egit sollicitè, ut diligenti exercitatione exemploq; suo quàm plurimos ad veram eruditionem sibi comparandam perduceret. publico qui natus fuit bono. Et quidem ille tum studio vigilanti, tum lectione auctorum omnium Gra-

eorum pariter & Latinorum, viam sibi eam premuniuit,
quâ progressu ætatis, & eruditionis summa laudem apud
omnes consecutus est, & sui ingenij monumenta præ-
clara omni posteritati consecrauit.

Tanta autem mox initio susceptæ professionis tum in-
genij: tum eruditionis fama de **DAVIDE CHY-
TRÆO** etiamnum iuvene duo de viginti annorum in-
crebuerat, ut Christianus 3. Rex Danicæ celeberrimus ille
princeps: deinde post anno 1554 **Fridericus 2** elector Pa-
latinus: triennio post **Otto Henricus** elector item Palati-
nus, ipsum in suas Academias, ad suscipiendum publicum
docendi munus, vocare non dubitauerint.

Cum iam docendo, disputando alijsq; utilissimis exer-
citijs bonam huic Academia operam **CHYTRÆVS**
prestitisset, & Theologiæ studio se totum dedisset, dignus
habitus est ab Illustrissimis ducibus Megapolitanis
D. JOANNE ALBERTO & **D. ULDA-
RICO** fratribus, cui principali beneficio ac sumptu insi-
gnia doctoratus conferrentur. Vocatus ergo Gryphis-
waldiam Reuerendus & clarissimus **D. JACO-
BUS RVNGIVS** anno 61. præstantissimis inge-
nio & virtute viris **D. DAVIDI CHYTRÆO**
& **D. SIMONI PAULI**, magno isti, quem no-
uistis, Theologo, & **JOANNI Kittelio** solenni ritu in-
signia summi gradus contulit.

Eodem tempore & uno velut actu promotionis præ-
stanti illi & celeberrimo poeta Laureato IOANNI
BOCERO ac optimo viro D. BARTHO-
LOMÆO CLINGIO ingenij & eloquentiæ
laude bene iam de hac schola & prosapia Ducum Mega-
politanoꝝ merito ad finem & compatri meo clarissimo so-
lenniter gradus Licentiariorum tributus est, & qui digni-
tatis sibi eodem tempore collatæ honore & sincero amore
coniungi cœperunt collega, magnâ deinde D. CHY-
TRÆVM observantiâ coluerunt & adamarunt,
eius omni ferè negotio auctoritatem & sententiam secuti.

Quandoquidem porrò sermo & actio honesta animi
imago dici et esse solet, non est planè opus, ut verbis mul-
tis eius celebremus laudes. En opera quot egregia ille
conscripsit in theologia, in philosophia! in historijs quam
elaboratum opus! Quod eruditionis admiranda moni-
menta! satis illa & quidem eximiè eius laudes, nobis
etiam tacentibus, loquuntur, quibus legendus quilibet
procul dubio & doctior & melior effici potest. Quis
verò in rebus divinis de vitandis inter theologos illo modestiæ
studiosior fuit? quis in rectâ docendi & discendi ratione
demonstranda accuratior? quis demiq; in dispungendis
temporum rationibus diligentior? ille primus scribendæ ac
intelligendæ historiæ rationem ceu oculum demonstravit
conscripta Chronologiâ, ille descriptiones familiarium
scia

seu genealogias accuratè tam veterum quàm recentiorum principum delineauit & descripsit. Nam parum est rem nosse, nisi quo tempore & loco singula gesta sunt, simul cognoueris & animo pariter & oculis collustraueris, & in promptu habueris, quo notio mentis ceu fundamento fulciatur, & cui animus plenâ circumstantiarum disquisitione acquiescat, tempus enim aui imago mobilis: magister cuiusq; & incepti artifex est. Loci verò consideratio solidam rei præbet cognitionem. Opera ergò ingenij suâ bonitate & utilitate satis celebrem fecere memoriam **DAVIDIS CHITRÆI**, ut quod rei satis superq; insigni cum laude virtutis & eruditionis demonstrata additur, superfluum esse videatur. fateor, & id quidem lubenter sed tamen quod honori piè defuncti præceptoris tribuimus, magnam profectò nostri utilitatem continet.

C. Octavianus Cesar Augustus proximum à Dijs immortalibus honorem, ut auctor est Suetonius, memoria Ducum præstitit, qui imperium populi Romani ex minimo maximum reddidissent. Itaq; & opera cuiusq; manentibus titulis restituit & statuas omnium triumphali effigio in utraq; sui fori porticu dedicauit, professus edictò commentum id se, ut illorum velut exemplar & ipse dum viueret & insequentium ætatum principes exigerentur à civibus. Non dicam quam seniores nostri tuen-

ad auctoritatis suae; quae anima est gubernationis; & pu-
blica concordiae rationem tenere, exemplo D. C H T-
T R A E I, debeant; nam ipsi prudentissimi sunt viri aetate
& usu rerum edocti, qui per se quid facti opus sit noue-
runt, typi fidelium existentes, ut nempe morum suauita-
te potius persuadeant, quam minis & decretis homines
cogant: Sed nobis, qui in secundis tertijsq; gradibus consisti-
mus, & adhuc, ut metam solidae eruditionis consequa-
mur, anhelamus: hoc ingenij, studij, diligentiae ac medi-
tationis perpetuae monumentum magno usui erit, ut spar-
tam, quam nacti sumus, ornemus. Nec existimo crebras
illas & beneuolas D. C H T R A E I admonitiones
apud plerosq; plane fore inanes, cum se exemplar virtu-
tis, pietatis & eruditionis à cibus & studiosis exigi
sciant. nec enim sibi laborauit & scripsit praestantissimus
noster praeceptor, qui aeternam iam requiem perfruens nihil
horum opus habet. Sed cum in omnium hominum, ad
quorum manus sua scripta perueniunt, tum vel maxime
in nostrum commodum scripsit & abstrusa diuulgauit,
& perplexa explicauit; ut uiuens quasi cuiq; nostrum
suggerere uideatur, haec tibi meditanda; haec illi perlegen-
da; haec alteri ruminanda sunt, qui solidum eruditionis
fructum referre & suum officium recte facere uolet.
Quid? iamne est tempus somni & quietis? ut arma
eloquentiae cum solida pietate & eruditione coniuncta,
magna

magnâ animi securitate abijciamus, cum tot tantorumq;
hominum extent scripta, quibus videntur aduersarijs satis
respondisse, & os ipsis obstruxisse. Minimè verò gen-
tium nos ita sentire oportet: Imò quantò maius & propin-
quius est periculum, tantò nos cautius & diligentius tan-
tam rem agere oportet, quæ & nostram & multorum sa-
lutem concernit. Quem audisse iuuat, par est & eius
scripta sæpe iterumq; perlegere. Certè si otiosus miles non
antè arma expedita habere, & ad omnes ictus excipiendos
instructus esse velit, quàm ubi hostem appropinquare vi-
det; quid ille viso hoste truci, pensi reliquum habebit,
quàm ut nec vultum eius ferre possit, & mox se in tur-
pem fugam coniiciat? O quantus nostrarum mentium
stupor! o quanta dementia! si tot undiquaq; nos malis
prementibus in utramq; aurem securi dormire velimus.
Ex omnibus planè partibus nos varijs cingimur periculis,
non ijs quidem corporis & fortunarum duntaxat, quæ
grauissima & difficillima agnoscimus, sed quæ anima-
rum interitum adferre videntur. Vereor, profectò vereor,
ne malum corrupta religionis & negata diuina maiesta-
tis in Christo veneficum, ingens, abominabile erumpat
opinionem etiam celerius. Nonne ergò armis pietatis,
ardentis inuocationis, eloquentia, & diuinarum rerum
solida cognitionis opus est? tanto, me Christe, magis,
quantò aduersarij ingenio subtiliores & doctrinâ variâ

MAIORES

maiores esse videntur Halcyonia nobis Deus dedit, quamdiu vixit D. CHYTÆVS. Halcyones mediâ etiam hyeme mare tranquillum præstant, non sibi solum, sed alijs quoq; sic ille suâ auctoritate senili non modo nobis nostroq; gymnasio tranquillitatem tutatus est, sed alios etiam concitatos in diuersis Academijs composuit & sedauit. iam porrò deinceps, quis eius supplebit vices? nemo celerius opprimitur, quàm qui nihil timet. Deinde quanta apud nos anarchia sensim irrepit, palam est. Bion dicere solebat, impietatem malum esse contubernalem fiducia; & adiciebat versiculum Euripidis, seruum facit quamvis feroculum virum. Quò euasura sit anarchia, vitam non experiri cogamur.

Toto illo tempore, quo per annos 25. DAVIDE CHYTRÆO familiariter usus sum, sic eum cognoui, sic ab alijs eum celebrari audiui, quòd minime φιλόδοξος fuerit, sed modestiæ laude semper celebris, quantumvis sibi cum diuersæ religionis hominibus certamina sæpenu-mero fuerint subeunda grauissima Nam suauitate ac integritate morum, calumnias & obtreccionem aduersariorum equo animo vincere nouit, sæpe in ore habens, qui nescit ferre calumnias, obtreccionem, conuicia, iniurias, ille viuere nescit; & eo ipso ostendit spiritum pacis & concordie suauem, non asperum: lenem non rigidum esse socrere. Philippus Macedonum rex aiebat se his, qui

in Republica Atheniensis primores essent, plurimam habere gratiam, quod suis conuicijs efficerent, ut ipse tum oratione, tum moribus euaderet melior; dum conor, inquit, illos dictis pariter ac factis mendacij arguere. Et noster praeceptor cum miris saepe modis traduceretur, hac arte usus est, & innocentiam morum sic aduersarios retudit, ut eos postea mendacij puduerit. & hac quidem publice fecit David Chytraeus laudabiliter. crebro hac vota ingeminans: Utinam ambitio & auaritia ex animis hominum radicitus tollerentur. Utinam publica tranquillitatis causa magni viri remitterent inuicem simultates. Utinam reges ac potentes rerum domini maiorem Ecclesiae & Scholarum curam susciperent, certè pulchrum & stabilem Apostolicae & orthodoxae religionis consensum & florentem Reipub. Christianae statum haberemus.

Nunc porrò videamus, quomodo DAVID CHYTRAEUUS priuatim inter homines sese gesserit. Constans & syncerus in professione & erga amicos: patiens in perferendis rebus aduersis fuit.

Quam ille semel veritatem religionis ex fontibus Israel adolescens didicit & cognouit, eam constanter retinuit & defendit; eiusque vim utilissimis vitae officijs ad ultimum usque Spiritum vitae retulit. Scripta id eius loquuntur, hominum hic adsunt testimonia, omni exceptione maiorū; ut cum rerum adsint documenta, verborum

D

admini-

ad mimiculis opus esse non videatur. Scio saepeq; ita ex-
audiui, quòd maleuoli quidam huic optimo viro labem
occulta cuiusdam societatis cum nostris aduersarijs adper-
gere ex eo voluerint, quòd singulis annis polemica non
edidit scripta. memini item eius honestam orationem; satis
scriptum est de controuersijs illis, modò, qui noua deside-
rant, libros editos perlegere uellent: ignaui sunt homines
nostri & rerum nouarum nimis cupidi, veterum scripta
negligunt, recentium expetunt; cùm tamen illi vnâ breui
sententiâ plus tradiderint & expresserint, quàm hi multis
id faciunt pagellis. quo fit, ut eadem facilitate, quâ illi li-
bri scripti sunt, reijciantur. Deinde verum est illud
Publij Mimi, & calamitas fundi Gracia testatum facit,
nimum altercando veritas amittitur. Itaq; consentiens
vox orthodoxorum retinenda: nam pulchrum est illud
Platonis, ἐπὶ χρύσειον, ἐπὶ ἀδάμας ἔτιος ἀσπράττις, ὡς αἰετὸς ἀγροῦν ἀν-
δρῶν νότος. Cυνοψήδμων h. e. non ita aurum, nec adamas
ita fulgurat ob oculos, sicut bonorum virorum consensus:
& consentanea sibi veritas non tam disputationibus argu-
enda, quàm sanctitate vitæ & proximi dilectione contesta-
da est. Deinde præclarum hoc fuit D. CHYTRÆI
institutum, quòd non facile, nec temerè de rebus magnis
iudicium tulit, ne effuso sermone in præsens sui incideret
periculum. Sed prudenter omnia perpenso egit consilio.
nam turpis est vox tam in togata quàm in militari vita,
non putaram. Ideoq; in publicis consilijs & deliberatio-

nibus Theologicis hoc solenne fuit D. CHYTRÆO, ut rem propositam e fide historiarum prius, suisq; circumstantijs, fundamentis & rationibus diligenter perpenderet, & aliorum, collegarum maximè, sententiam audiret & exquireret. Quo ipso factum est, quòd plerosq; in suam sententiam sic præclare demonstratam facile adduxerit, & sibi auctoritatem tum apud omnes secum deliberantes, tum apud eos, qui consilia requirebant, conciliarit maximam. Quid enim in Ecclesiasticis, Politicis, et Philosophicis scriptoribus, antiquis pariter & recentibus uspiam scriptum, quod D. CHYTRÆVM fugit? qui instructissimam omnium auctorum habuit & reliquit Bibliothecam, pharmacum animæ, illamq; non ut ornamentum Musei sed velut instrumentum eruditionis comparanda necessarium habuit, & singulos libros perlegit; & sic quidem, ut argumenta cuiusq; libri referre potuerit, & pleraq; sua dicta & consilia aliorum sententijs confirmare visus fuerit. O hominem præclarum! O sapientia diuina & humana studiosissimum!

Paucos ille quidem in interiorem amicitiam admittere solebat, interim tamen erga omnes facilis & suavis existens: quos verò amare cepit, vel propter ingenium, vel ob fidei candorem, vel ob aliam virtutis significatione, eos omni humanitatis officio prosecutus est. quippe à prudentia alienum est tale quid agere, cuius te mox

peniteat. Quis est in hoc amplissimo catu , magnum
qui iam dignitatis fastigium tenet , quem sua non comin-
cit conscientia , ut studio & auctoritate C H Y T R Æ I
se promotum , ornatum & edoctum fateatur. quocirca
communis preceptoris titulum meritò retulit. Multis
præterea depositum puræ doctrinæ Euangelij propagandæ,
collatis etiam insignibus Doctoratus in Theologia com-
mendauit , veluti D. Joanni Wigando Episcopo Pome-
ranensi , D. Luca Backmeistero & alijs. Et in sum-
ma fuit prorsus talis Musarum angelus & minister, qua-
lem Theognis describit.

Ἐπὶ μυστῶν θεράπωντα καὶ ἄγγελον, ἔπι πέλσον
Εἰδαὶ σφίσις, μὴ φθόνεον τέλειεν. h. e.

Conuenit, ut qui minister & nuncius est Musarum &
quid amplius scientiæ habuerit , ne inuidus propterea esse
velit. nam qui hauserunt è sapientiæ fontibus , inuidiam
ex animo suo exterminant , & ultrò succurrunt proximis ,
scientiam sermonibus per aures traicientes in animas au-
ditorum. quinimò summum quod ab eo ipso proficiscitur
bonum sui ipsius communicatione crescit , & quod semel,
auspice Deo cepit , in immensum augetur.

Nec verò dissimulandum est , quòd aequè de amicis atq;
de alijs , in quos magna contulerat beneficia , id animum
induxerit suum , non admodùm dolere , si qui ingrati ad-
uersus illum extitissent. Nullum quidem telum animo

Sincero

syncero accidere potest grauius & molestius, quàm si, quos
promouisti, quos honore & beneficijs ornasti, ingratos com-
perias. Multorum se quotidie experiri ingratitudinē testa-
tus est quidem Chytraus. Sed callum se animo obduxisse
aiebat patientia antidoto. Nec enim ullius hominis tanta
malitia uideri debet, quæ nostram virtutem expugnet,
nosq; laude decoris exspoliet. Dixeris maledicta cuncta,
quem ingratum hominem dixeris. Nec verò ullam excu-
sationem prebet, quòd consuetudine quadam homines
rarò animum ad præterita retorqueant, & inde fiat,
quod præceptores eorumq; beneficia intercidant, quia to-
tam pueritiam relinquimus. Siquidem ingenue mentes
plus virtuti quàm corruptæ hominum consuetudini tribu-
unt. neq; æquum est tempore vel die memoriam beneficij
definire.

Quoniam porrò vidua est virtus, quam non patientia
firmat, DAVID CHYTRÆVS non solum in
rebus secundis moderatus & grauis extitit: sed in rebus
etiam aduersis patiens; immò semper inter secundas &
aduersas res animi firmitate versatus fuit. & hoc ipso,
quantas animi ingenijq; dotes habuerit, quantisq; virtu-
tibus præcelluerit, agnoscimus.

Non dicam de aduersarijs ipsius, qui scriptis famosis,
conuicijs, & dictarijs eius famam prosciderunt, quos ille
modestæ laude, & honestarum actionum conscientia vicit

omnes. quanquam interim maior ipsi iniuria propter aurium infirmitatem, quàm propter inimicorum insidias facta est. Sed quàm generosè, quàm fortiter, quàm uè sapienter domestica illa mala: quæ acerbius pungunt & cor magis pertranscunt, quàm ulla externa mala: æquo animo pertulerit, agè videamus. Sed interim illud Gregorij in promptu sit, Si mens forti intentione ad Deum dirigitur, quicquid in hac vita sibi amarum sit, dulce existimat: omne quod affligit, requiem putat. Anno 1571. die 18 Aprilis suam Margaritam, Laurenij Smedes Senatoris Rostochiensis filiam, pretiosam, cùm annos octodecim eam thori consortem habuisset, lithiasi & alijs morbis diu conflictatam & confectam amisit. eheu quanta ad afflictio, dimidium animæ & partem corporis sui amittere! Sed **DAVID CHYTRÆVS** sui similis semper permansit tamen; vulneri altissimo cordis amuletum adhibens patientiam. Magnus hic est profectò pietatis fructus, dolorem animi summum vincere, & Dei voluntati acquiescere, & semet adeò certâ consolatione erigere posse, ne de providentia diuina quicquam dubitare videaris. Mox deinde anno 76. filiolum Dauidem suauissimæ indolis puerum iam trimum intra 20 horas mediocriter valentem & extinctum vidit. Inopinata quidem turbant: sed pectus **CHYTRÆI** benè preparatum & sapientia munimentis vallatum, casus hic quantumuis grauis &

uis & acerbus nequicquam mouit, et aquabilem se quoque
in caterorum liberorum, quos septem amisit, morte præbuit.
Non est Magnanimi, se fortem rebus prosperis gerere, ubi
secundo cursu vita procedit: nec gubernatoris artem tran-
quillum mare & sequens ventus ostendit; aduersi ali-
quid incurrat, oportet, quod animum probet. quare Deus
virum bonum in delitijs non habet, experitur, indurat, sibi
illum preparat, ut verbis Senecæ utar. Hic tu iam, qui
scientiâ illustris es, aut magno pietatis zelo duceris, ne te
submittas, consilium est: immò contra fige stabilem gra-
dum, & quicquid onerum supra cecidit, sustine. namque
hæc est indulgentia æterni patris, ut omnis calamitas &
adfectio, quæ Christiano pio homini contingit, in bonum
ipsi cedat, ut & victoriam cum laude virtutis reportet,
& alijs exemplo sit.

Amisâ primâ coniuge, ad secunda vota se CHY-
TRÆVS contulit, & CONRADI PEGELII:
(olim item Professoris huius Academiæ optimè de re lite-
raria meriti, qui pater D. Magni Pegelij mathematicum
apud nos professoris fuit:) filiam Margaritam duxit uxo-
rem, quæ iam vidua maritum, cum quo per viginti
nouem annos in suauissimo coniugio vixit, luget ama-
rè. Huic secunde coniugi matrimonium concors &
tranquillum schola tamen patientiæ fuit. non dicam
molestias, quas in liberis educandis illa sustinuit
summas

summas, & casus mortalitatis liberorum, quos praeiisit
subitâ morte praeceptos, Sed in eo praestitit suo marito verè
adiutorium, *τελευτων τῶν δεετῶν Ἰππικα γυνή*, quòd summa
cum patientia **CHYTRÆVM** diutius lecto adfi-
xum & cum grauisimis morbis conflitantem sedulò cu-
rauit, nullis curis nullisq; parcens vigilijs. Itaq; saepe
ad me, suae coniugis piam virtutem commendans, dicere
solebat: Legi quidem saepius & interpretatus sum dictum
illud diuinitus prolatum, **FACIAMVS** ei adiutorium,
sed vim vocabuli nunc demum, cum nec manus nec pedes
officium faciunt, perspicuè intelligo. Ex hac secunda con-
iuge plures quidem suscepit liberos, sed duo saltem super-
stites manserunt, adolescentes ingenio & eruditione præ-
stantes, **ULDARICVS** & **DAVID** fratres Chy-
traei, qui spem bonae indolis iam diu de se præbuerunt ma-
ximam, fore, ut vestigia patris optimi sequantur. nam et
exemplar paternae virtutis ac eruditionis nos ab ipsis exi-
gere votis iustis videmur. quæ sic ingeminamus, ut **DE-**
VS opt. max. qui ex occulto ingenia profert, & vtilis ci-
ues patriæ efficit; eos diuini Spiritus virtute regat & diu
incolumes conseruet: nam hi duo sunt columna familiæ
Chytraeanae, & eorum recta institutio, unica patris fuit
voluptas, qui grauisimo etiam morbo decumbens nihil
prius habuit, quam ut præceptis saluberrimis eos erudiret,
eruditosq; patriæ relinqueret, & hanc beatitudinis partem
ipsi

ipſi defuncto permansuram nullus dubito. Quàm ve-
rò frugaliter, quàm ſobriè præceptor noſter communis vi-
xerit, non opus eſt multis inculcare, de re conſtat. animo
enim viuere malebat quàm corpore, Philoſophiæ præcepta
quotidiè factis repræſentabat, facta dictis accommodans,
ut cum ſermone vita congrueret. nam ſobrietas eſt, quæ
mentem ſeruat integram, quæ memoriã ſtabiliter firmiter,
actioneſq; dirigat prudenter: Sobrietas ſenectutem tuetur,
ubi illa eſt in homine, chorũ reliquarum virtutum ad-
eſſe conſequens eſt. quare Euripides non dubitauit exclamare,
antiquius nihil ipſã temperantiã duco, bonis quòd
ſemper adefſt. Quid ergò mirum, quòd Chytraus ſeptua-
ginta annos & 4. menſes vixit, & inter tot curas, vigi-
lias, labores, obtreſtationes, calumnias, & inter varios
ac grauiffimos corporis morbos vixit tamen! patientiã an-
tidoto & temperantiæ bono hanc longeuam vitam conſe-
cutus eſt. & etiam in lectulo virtuti locus erat: nec enim
vnam meditationes & ſcriptiones intermiſit bonus ille
ſenex, adeo parcus temporis; cuius maior alia non eſt ja-
ctura, ut ſepè diem totum ſcribendis vel epistolis vel ora-
tionibus, aut perlegendis, quæ offerebantur, ſcriptis inſu-
meret. & exinde vnus dies huius optimi ſenis plus pate-
bat quàm imperiti longiſſima etas. Quàm multos interim
vidit ille iuuenes & viros mediã etate ſepeliri, qui in-
continentia ſuã fata ſibi maturarant. quocirca non inele-

E

ganter

ganter Democritus dixit, Si corpus animam in ius vocaret, non futurum, ut ille muneris male administrati crimen effugeret. Deinde nihil egregium comparatur, quod non continentiae labor praecesserit.

Cum iam progressu aetatis per gloriam ingenij, eruditionis & virtutis in omnium ore esset **CHYTRÆVS**, summamq; sibi comparasset auctoritatem, multi reges, principes, aliq; magnates in gravissimis negocijs Ecclesiae et Reipub. constituendis & dirimendis eius opera & consilio usi sunt. nec enim solum Augustus Dux Saxonia: item Ioannes Georgius elector Brandeburgicus: Ludovicus elector Palatinus: Iulius Dux Brunsvicensis: Sed & Maximilianus 2. Imperator Rom.: Christianus 3. Rex Dania: Ericus 14. Rex Suecia: Fridericus item 2. Rex Dania, eum solenniter ad constituendas in suis terris Ecclesias & scholas, & ad suscipiendum publicum docendi munus vocarunt, vocatum magnifice exceperunt & honorarunt, eius consilio & auctoritate pleraq; ordinantes & exsequentes.

Quid Academiae Juliae, quae est Helmstadij, D. **CHYTRÆVS**, qui eam scholam felicibus auspicijs introduxit & ordinavit legibus & statutis utilissimè conscriptis, emolumentum contulerit, archivi id publici continent. Sicuti autem Sol ante irradiat ea, quae eius sunt citima, mox aliùs etiam euagatur; ita **CHYTRÆVS** magnus

gnus ingenio, magnus eruditione, magnus innocentia morum, cum hasce oras Balthici maris, & imprimis hoc nostrum gymnasium legibus alijsq; saluberrimis institutis velut constabiliuisset: dignus visus est, qui idem bonum ordinis pulcherrimi, religionis repurgatae & Christianae institutionis in alijs item terris & longè distitis regionibus, diuinâ sic gubernante gratiâ, propagaret & communicaret. Quam utilem & verè salutarem operam nobilitati Austriacae, Stiriacae, Carinthiacae praestiterit, dum vocatus puram Euangelij doctrinam, ordine Ecclesiastico rite constituto, promulgaret, omnibus est manifestum: & illi homines quamuis iugo dominationis aduersa pressi, beneficium tamen Dei, quod per **CHYTRÆVM** ipsis contigit, grati agnoscunt.

Quanti etiam Illustrissimus Princeps Dominus **ULDARICVS** Dux Megapolitanus Dominus noster clementissimus, Nestor ille Germania, senem nostrum Chytraeum fecerit, & de multis saepe rebus cum ipso communicarit, eiusq; consilio usus fuerit, tam est apertum, ut verbo rem attigisse sufficiat. Quis enim sui patrocinio plùs quàm Dux Uldaricus hanc Academiam iuuit & promouit? quis firmitus religionis orthodoxa fulcrum quàm religiosissimus ille Princeps? qui & suâ auctoritate puram Euangelij doctrinam propagauit & fouit, suâq; velut voce, conscripto elegantissimo libro, nos de veritate docet & confirmat.

Sic ergò virtutis & eruditionis eius fama per omnes
Europæ partes pervagata est. Chytrai nomen notum est,
quamvis ubi Rostochium sita sit, multi ignorent. pulchrè
Theognis cecinit,

Excole virtutem, fac rectè & cuncta decenter,

Mittendus nemo est, nuncia fama volat.

Eruditi viri, ubicunq; locorum essent, laudi id sibi di-
xerunt, si in interiorem eius amicitiam sese insinuasent,
& una sæpè epistola elegantius scripta: ut est bonarum
mentium tacita quedam consensio: amicum ipsis Davi-
dem Chytraum peperit. nec respondendi vel scribendi offi-
cio unquam ipse defuit; reputans secum, quòd multas sæpè
amicitias dissoluat silentij affectatio. Planè existimo è
familiaribus eius non paucos fore, qui præconium laudum
ipsius elegantius, quàm à nobis fit, publicaturi sint. nam
honestum ubiq; est, laudare rectè facta: & thus Dijs;
laudem verò bonis viris tribuendam esse dixit Socrates.
Et memorem famam, qui benè gessit, habet.
nec verò ab ullo homine rectè celebrari potest, cui res &
virtus deest. quin verò falsa laus & precibus expressa
perinde cohiberi debet, quàm malitia, quàm crudelitas.

Verum enimverò non ut Deum præceptorem nostrum
sollaudemus, dixerit aliquis, quasi omni planè crimine ca-
ruerit, sua ille habuit, non minùs quàm alij homines, erra-
ta. Iracundior fuit naturâ, nimis ad ambitionem usque
laborio-

laboriosus, multa dissimulare nouit, cunctator in dicendis sententijs fuit. Sed hac, qua in confinio virtutum sunt vitia, sic ratione rectâ moderatus est, ut virtutis vim ubiq₃ redolerent. Ira dolorem animi arguit: itaq₃ si corrigendi animo quis alijs irascatur, in magistratu, in praeceptore, in patrefamilias ira vitium non est. quia non ex affectu agunt, sed ut ratio & causa honestatis praescribit. & qui non irascitur, neq₃ videtur sentire, neq₃ dolore adfici, neq₃ esse idoneus ad ulciscendum. ergo irasci saepe Chytraum necesse fuit. Deinde cum illud Plinij verum esse agnoscamus, quicquid non est peractum, pro non inchoato est, si posteritatis rationem habeas; utiq₃ recte nulli labori perpercit vir prudens, qui absoluta, qua posteritas legeret, voluit esse omnia. Laboriosus ergo vitio ambitionis, quâ ille profus caruit, non fuit.

Dissimulatione, ubi ita opus fuit, ad multitudinem usus est, sed coram intelligentibus omnia aperte dixit & enunciauit. veritati plus quam opinioni cuiusuis tribuens.

Cunctator fuit, magni qui iudicij homo fuit. quippe nil nisi rectam rationem spectabat; fontem originemq₃ virtutum. Et sanè leuiter iudicare res magnas, imperiti est: & praecipitanter, iniusti est. Sed qui infamiam leuitatis & imperitiae timet, modestus seu Indignus est. Deinde Magnanimi motus tardus est, vox grauis, et loquutio stabilis.

Magnum porro agnosimus Dei beneficium, quod

cui Ευφρασια h. e. bona & honesta fama contigit: qua liberis iam eius alterū erit patrimonium; eidem Deus etiam concesserit Ευδρασιαν, votoq; C H T R Æ I satisfecerit, quòd decurso vita spacio in summis laboribus, vigilijs, curis & molestijs tam placidè obdormierit, ut nullum planè mortis sensum habuisse videretur.

Si ex operibus sapientia aestimanda est, uti planè est, & meditatio mortis plena demum sit Philosophia: magnam profectò in D A V I D E C H T R Æ O agnoscimus hoc ipso vim sapientia. magnis quippe ingenijs nunquam cara est in corpore mora, exire atq; erumpere gestiunt, agrè has angustias ferunt, vagi per omne sublime, & ex alto adsueta humana despicere, inde est. quod Plato exclamat. Sapientis animum totum in mortem premere, hoc velle, hoc meditari, hac semper cupidine ferri in exteriora tendentem. Noster ergò praeceptor non solum multos iam ante annos in cogitationem mortis eiusq; diligentem meditationem, libro de vita & morte elegantissimo pariter & utilissimo conscripto, morbis cum alijsq; casibus acutiùs affligentibus descendit: Sed hanc quoq; vocem indies manè & vesperi repetiuit: Vixi, & quem cursum dederas pie Christe peregi.

Scitum est illud Seneca epist. 107. nemo non fortius ad id, cui se diu composuerat, accessit, & duris quoq; si praemeditata erant, obstetit: at contra imparatus etiam leuissima
ma

ma expavit. Nos verò, qui doctrinæ celestis virtute instru-
Eti et imbuti sumus præceptis, certamq; nostræ salutis ratio-
nem novimus; id possumus, magnum sumere animum et
viro bono dignum, quo fortiter fortuita patiamur & na-
tura consentiamus. Quemadmodum verò miles, merce-
narius mortis, in acie constitutus, mortem, ad quam ve-
lut præsentem se iam iam preparavit, non timet: Sic stre-
nuus hic Christi miles D. CHYTRÆVS semper sic
omnem cogitationem subductam habuit, ac si illà ipsà horâ
sibi emigrandum esset. Interim bonam militavit militi-
am, retinens fidem & bonam conscientiam, & id cavuit,
ne quid sibi inopinatum esset. Etenim ut mortis medi-
tatio pœnitentiâq; vera nunquam fuerit sera: in supre-
mam dilata diem talis, qualis esse debeat, admodum est
rara: sic admodum sit necessarium, ut saltandâ fossâ pau-
lò retrò cecissee; ita extremo obeundo die mori prius didi-
cisse. Memorabilis ergò est in CHYTRÆO ad-
sidua mortis meditatio, quâ pavores intus, & pugnas fo-
ris magnâ in Christum fiduciâ vicit; utrobîq; fidem &
bonam conscientiam retinens. quæ summa bona etiam in
extremo agone mortis plurimum ipsum consolata sunt:
Fide Christum apprehensum retinuit, in eiusq; meritis
vitam & salutem æternam adeptus est. bona conscientia
Deo acquiescens id effecit, ut non mori sed obdormire: non
morte cogi sed spontè abire: non deficere sed lassitudinem
senectutis deponere visus fuerit.

Die

Die 22 Iunij vocatus à CHYTRÆO per aliquot
horas post meridiem ipsi adsui, varijsq; de rebus collocuti
sumus, inter cetera talia quadam commemoravit, ex qui-
bus mortem ipsemet sibi vaticinari visus est. Abs-
solui, inquit, historiam centum annorum, & colophonem
huic labori imposui, nec amplius scribam. cum ego dicerem,
me Deum precari, ut diutius superstes sit; in caelesti, excep-
pit ille, patria ero. Deinde graui se laborare catarrho con-
questus est, qui suppressis faucibus ferè eum suffocaret;
rogauitq; ut sibi bonum medicum indicarem. Deus nouit
medelam, respondi ego: rectè dixit ille, & is medicinam
mox adferet, citam nempè mihi mortem. Has ego voces
non temerè prolatas conijciebam facilè, sed tamen ex me-
ditatione diuturnâ eum magis eas protulisse putabam,
quàm ut mortem adeò sibi propinquam existimarem. Si-
quidem omnibus sensibus integris & adeò tenaci memo-
riâ fuit, ut, ubi libellum impactum inter multas chartas
seposuisset, suo filio Dauidi indicare potuerit. Verùm e-
nim sic comparatum est, magni viri quò propinquoires
morti sunt, eò diuiniùs vaticinari solent.

Postridiè grauiùs catharro laborare cepit, festo die
Ioannis, cenam adhuc mensæ adsidens cum suis velut
ipsis valedicturus sumpsit. nam suavis erat pater & suo-
rum amantissimus.

Die 25 Iunij, qui ipse decretorius fuit, cum catarrus
grauiùs

gravius præcordia occupasset, **DAVID** **CHYTRÆ**.
Vs ante meridiem, postquam doctissimum & clarissimum
M. Joachimum Westphalum pœnitentiarium suum
ad se accersiri curasset, eiq; præsentem affirmasset, se nunc po-
stremam orthodoxæ religionis & fidei suæ confessionem
denuò repetere & edere velle; & licet multiplicia & va-
ria peccata sua non ignoraret, sed lubens cum regio Pro-
pheta Davide ex Psalmo 51, quem aliàs integram devo-
tissimè recitare, & confessioni suæ inserere solebat, coram
Deo agnosceret & deprecaretur: tamen se peccata omnia
ex conspectu suo nunc prorsus amouere: & solummodò
Ihesum Christum crucifixum, velut agnum Dei tollentem
peccata mundi, & in cruce orantem, pater remitte eis;
& dicentem **CONSUMMATUM** est, intueri velle, hæc
firmissimâ fidei *ἀνεροφωσία*, credere sua peccata & trans-
gressiones omnes sibi à Deo patre *φιδόστυρα* propter illud
sufficiens *λόγον* etiam pro peccatis suis persolutum, certissi-
mè remitti & condonari. Hac maximè piâ confessione edi-
tâ, cum iam dulcissimam absolutionis vocem audivisset,
sacrosanctum corpus & sanguinem Christi deuotè accepit,
veluti certissima communicata absolutionis, & vitæ æ-
ternæ ac salutis consequenda sigilla & pignora, & serio
motu cordis ac indubitâtâ fide se heredem vitæ æternæ fu-
turum, gratias Deo egit, atq; sic diuinâ se potentia totum
commisit, memorabilem vocem, simul ac animæ cibo re-

F

fectus

fectus erat, ad suos & Dn. Pastorem dicens, Nun sind
wir Gott lob wol verwaret/ Iam bene pramuniti &
salui sumus. Quid enim magis jucundum, quam creato-
rem rerum Dominum sese creatura communicare! Quid
optabilius, quam aternitatis bono frui? Quod deniq; pra-
sidium anima corporisq; firmitus & maius, quam est S.
Trinitatis & veneranda diuinitatis subsidium? quae,
tanto mysterio communicato, in pectore hominis Christiani
habitare non dedignatur. O Christiani quantum habetis
bonum! quibus ipsa diuinitas cohabitatur & summum im-
perit bonum. Tandem sacra cana iam peracta, & gra-
tiarum actione & benedictione, quae post S. cana admini-
strationem vsitato Ecclesiae more, Christo saluatori nostro
pro summo communicati corporis & sanguinis beneficio
fieri solet, recitata, lato animo & ore ipse iussit filium su-
um Dauidem clara voce pronuntiare Psalmos, videlicet
145. Exaltabo te Deus meus, & benedicam nomini tuo
in seculum, & in seculum seculi. &c. Et 121. Leuavi ocu-
los meos in montes, vnde venit auxilium mihi, auxilium
meum a Domino, qui fecit caelum & terram. Quo finito
tandem dixit: Et hic fidelis custos Israel pro me vigilabit,
& custodiet introitum & exitum meum, & sic tutus am-
bulabo. En vis Spiritus sancti quam praesens! quam
efficax! En fides verbo & Spiritu Dei illuminata, con-
firmata, constabilita quos & quam mirabiles habet effe-
ctus


Etus in pij & sapientis viri pectore! Iam dissolutio corporis
 & animæ fieri debebat, iam D. CHYTRÆVS Deo
 Saluatori suo vel maximè animo simul & corpore con-
 iungi cepit: quippe spes resurrectionis vitæq; aeternæ, quâ
 corpus & anima potiretur, affulsit, mentemq; erexit fir-
 missimè. Iam, cum terrores mortis, peccati, Diaboli, alios
 vel inprimis perturbare solent, D. CHYTRÆVS
 confidenti planè est animo. nam immota petra Iesu Chri-
 sto firmiter insistebat. Sine me nihil potestis facere; dixit
 ille, qui mentiri nescit. Quid verò maius hominis opus?
 quid quæso difficilius? quàm ut creatura se creatoris gau-
 dio perfrui sibi persuadeat, & peccator se diuina gratia
 munimine tutum sentiat & fateatur. hoc ergò totum ma-
 gnus ille Iehoua, iusticia nostra, in D. CHYTRÆO
 operatus est. Sequamini, sequamini, Auditores, pium
 hoc dogma, & memorabile exemplum, quod D. CHY-
 TRÆVS in meritis Iesu Christi, magnâ fidei constan-
 tiâ & veritate promissionis sibi applicatâ, mori voluit &
 mortuus est. Post hæc, ubi familiariter adhuc cum
 pœnitentiario suo aliquandiu, in præsentia reuerendi & cla-
 rissimi viri D. IOHANNIS FREDERI,
 generi sui carissimi, pro tempore magnifici Rectoris, &
 postea cum alijs, locutus erat, dulcissimas de septem Christi
 in cruce dictis meditationes suas, quas ante in hunc potissi-
 mum usum in peculiari patente pagina cum imagine cru-

cifixi Christi sibi edi curauerat, ut S° actioni sacrae cana
hae premittebat, ita iam denuò à filio sibi praelegi S° ali-
quoties repeti curauit, ut se ijs non tantum consolari, sed
 S° impetum mortis, quam iam propius accedere sentiebat,
eò animosius, constantius, fortius S° feliciter sustinere S°
superare posset, quò veterator ille Sathanas cor sancti ho-
minis tentare S° perturbare in agone mortis solet au-
daciùs. Post meridiem alij item Theologi S° piij viri,
reuerendi S° clarissimi D. Lucas Backmeisterus, S° D.
Valentinus Schachtius ipsi adfuerunt, quos diuina conso-
lationis verba sibi recitantes lubenter S° attentè audiuit,
 S° se plurimum dictis eorum, maximè Dni. Superinten-
dentis delectari S° confirmari ostendit, atq; cum vox ca-
tarro interclusa, ope medicorum nonnihil leuaretur, cla-
riùs etiam, quæ intentio animi ad Deum directà, quæ con-
stantia, quæ ~~ad~~ ~~hoc~~ ~~poesia~~ S° efficacia diuini verbi in se esset,
verbis nutuq; demonstrauit; S° multa vera inuocationis,
pietatis S° fidei signa edidit, tum gemendo, tum oculos in
caelum attollendo, tum ad pronuntiata diuina consolatio-
nis Amen respondendo. Et postremò, cum circa horam
nonam vespertinam prænominatus M. Joachimus West-
phalus ipsi ex septem Christi dictis, vltima valedictionis
loco, repeteret illud efficacissimū Christi **CONSUM-
MATUM EST**, quod pro omnium hominum salute
in ara crucis pronunciauit: S° vltimum omnis premedi-
tationis

tationis complementum, *PATER IN MANUS
 TVAS COMMENDO SPIRITUM ME-
 VM* sæpius inculcaret, eumq; hortaretur, ut nunc cum
 S. Iobo, firmissimâ in Christum fide, diceret; Scio quod
 Redemptor meus vivit: & cum D. Paulo, *Mihi vita
 Christus est, & mors mihi lucrum; cupio itaq; dissolvi,
 & esse cum Christo.* *μεθω δὲ μᾶλλον κρείσσον;* & sic Deo
 patri in manus suas corpus & animam commendaret:
 He voces latenti suâ energiâ, operante Spiritu sancto, sic in
 cor D. *CHYTRÆ I* penetrarunt, ut quasi reviviscere
 videretur, assiduus nempe cuius pectus hisce meditationi-
 bus occupatum fuit. Itaq; ore composito, manu prolata,
 intusq; evidenti hac in corde suo cuncta reposta coram o-
 mnibus astantibus manifestissimè demonstravit, declara-
 vit & confirmavit, se hac firmiter credere; cupidè expete-
 re, & adjuvante divinâ gratiâ omnem hanc pugnam pla-
 cidè transigere. O quantum bonum rectè mori! O bea-
 titudo verâ Deo eiusq; veritati acquiescere posse! Atq;
 hac vos pastores vigilantissimi, qui presentes adfuisistis,
 indubitato testimonio confirmastis. Circa horam deinde
 duodecimam noctis, in fine diei, qui S. Elogio sacer est,
 & perpetuum *CHYTRÆ O* pietatis, virtutis ac æ-
 ternæ gloriæ elogium confirmavit, finem vivendi fecit; &
 sub initio sequentis diei natalem æternæ vitæ habuit: &
 quidem presentibus domesticis alijsq; amicis, cum se velut


ad somnum capiendum composuisset, manuum complica-
tione, qui ad Deum gemitus, quæ preces sui animi, quæ
vota essent admirantibus ijs, qui adfuerunt, ostendit, &
placide animam absq; ullo sensu doloris aeterno Patri in
vulneribus Jesu Christi, virtute Spiritus sancti in ipso id
operante, commendauit.

Sic **DAVID CHYTRÆVS**, magnus ille
Theologus, egregius Historicus, Philosophus insignis,
Poëta non insuauis, Orator eximius, fato & natura con-
cessit, & ex hac valle miseriarum decessit; imo nos, qui
mox secuturi sumus, præcessit, & in celestem Academi-
am emigravit. ubi viuit, viget, liber est, supra hominem
est. O mi Deus quanta est illa vite iucunditas, quâ
nunc fruitur! hem quanta leticia paradisi! videt Sancta
& indiuidua Trinitatis essentiam, quam hic explicare
nullus potuit. Videt Christum à dextris patris sedentem,
cuius maiestatem intelligere plenè nullus potuit. Videt
sanctos angelos, sanctos Patriarchas, suos præceptores,
cum ijs iam conuersatur. O gaudium verum! O gaudium
perpetuum; omnem humani sensus captum exsuperans;
hoc fruitur & potitur ille, qui multos ad salutem erudiuit.
Talia enim Deus preparauit ijs, qui ipsum diligunt, qua-
lia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis
descenderunt vnquam. Quæ gaudia vt Deus & nobis
vniuersis



uniuersis ac singulis benignè in Iesu Christo, virtute Spiritus sancti, tribuat: vota, quâ possum animi summa intentione, nuncupo.

D I X I.




A d tumbam lugere suam, clarissime Sturzi,
Ut vidit te præstantis vis dia CHYTRÆ,
Sedibus è mundi melioris ad infima nostra
Despiciens: Sturzi lacrymarum desine,
dixit.

Quò mihi tot gemitus, quem sancta palatia cali
Exceptum claris diuorum manibus addunt?
Tantum ille. at salue cælo addite magne Chytræ;
Te, quem Sol oriens, quem nouit & occidit Sol,
Parua quidem premit urna; sed ista haud te premit
Namq̃, tui exiguum tellus obscura recondit, (urna:
Cetera tam parua non compeſcuntur in urna.
Cessit in agnatas pars maxima & optima sedes:
Pars, fama niueæ curru plaudente, per orbem
Immenſo uehitur in secula cuncta triumpho.
Felix, tantarum cui laudum contigit, ore,
Legibus, arte potens præco: quo rectius unquam
Non tua virtutum præconia duceret ære

Lysippus

*Lysippus, non ingenij formam ipsus Apelles
Pingeret: δ̄ salve diuine Ἐ̄ magne CHYTRÆE.*

*Joannes Simonius Professor
Rhetorices faciebat.*



*IN
DAVIDIS CHYTRAEI
MORTEM.*

*Κ̄ Αἴθωνε θαυμάσιε κ̄ ἠ̄ ἀνὴρ ὁ ΧΥΤΡΑΙΟΣ.
θεῦ! Σοφίας κ̄ ἀρετῆς ἐξ ἀπόλωλε κλέε.*

TVMVLVM.

*CHYTRÆI hęc tumulus. Nouerunt cetera docti,
Quotquot Sol oriens cernit Ἐ̄ occidens.*

EILHARDVS LVBINVS.

Quę inciderunt errata sic benignus lector corrigat.

*p. 1. lacrimis. p. 4. beneuolentia. lit. 6. vii.
C. 2. p. 2. familiarum.*

L. TH.



XVI, 77-79 add



XVI, 79

Adlegat
XVI, 77-79

